

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0597

0595

0601

0591

0606

0586

0646

0546

0696

0496

1096

0096

Ende

Anfang

Jesu honore. IV. pro regum oblatione. V. pro beneficio exinationis, quia oblatus in templo tamquam peccator, et mater purificata tamquam immunda. Et de fuga ac reversione de Aegypto, et de humili in schola residentia, et obedientia parentum. Et haec est prima quinquagena. Secundam sic ordinant: primum Pater noster cum suis decem Ave Maria dicunt pro beneficio baptismatis; secundum pro sustinentia tentationis in deserto, tertium pro electione et vocatione discipulorum; quartum pro virtuosa vita, doctrina clara et miraculis; quintum pro institutione sacramentorum et praecipue pro beneficio eucharistiae etc. Tertiam sic ordinant: primum pro omnibus intrinsecis Christi passionibus, fletibus et agonia in monte Oliveti; secundum pro captatione et castigatione per totam noctem; tertium pro accusatione, circumductione, flagellatione et coronatione, quartum pro sermocinatione, educatione, et crucifixione et omnibus, quae Christus vivens egit in cruce; quintum pro expiratione, lateris apertione et sepelitione. Quartam quinquagenam sic (**B**) ordinant: primum Pater noster cum suis decem Ave Maria dicunt pro gloria resurrectionis; 2m pro excellentia ascensionis; 3m pro gratiosa Spiritus S. missione; 4m pro honore beatæ Virginis assumptionis; 5m pro potestate judiciaria et pro pio judicio. Et est oratio illa devota et solatio, dum homo assuescit.

Insuper praefatus magister Jacobus contra aemulos beatissimæ Virginis Mariae, qui detrahebant orationibus praefatis, ordinavit, quod materia illa de rosario et indulgentiis fuit disputata publice in universitate Coloniensi in quodlibetis, et inventum est, eam esse puram et utilem, et beatissimæ Virgini acceptissimam. Et tantum pro hoc sufficiat evagatum me fuisse.

De loco, ubi Zacharias hymnum: Benedictus dictavit.

Post moram in loco praedicto habitam ascendimus de inferiori ecclesia per gradus lapideos supra testudinem, ubi quondam fuit pulchra capella, et in ascensu cantavimus hymnum: Benedictus Dominus, Deus Israel, quia etc. Quam fecit Zacharias repletus Spiritu S. in circumcisione pueri, ut habetur